



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Collegiis Canonicorum Per Germaniam, Belgivm, Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasque Orbis Christiani Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt XVIII. Avdomaropolitanvm Beatæ Mariæ collegium, hodie Cathedrali  
dignitate illustre in Arthesia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**



locum reliquias ipsius iussit altè transportari, vt nullum esset obstaculum cōtra desolationem. Quibus sublatis, velut muro & turribus ciuitatis destructis, irruit gens inimica, & incendio perdidit omnia edificia : ipsumq; monasterium consumpsit ; homines partim trucidauit, partim captiuos abduxit. Ista etiam leguntur in Collegiata Ecclesia monasteriensi. Sic ferè Molanus in Natalibus Sanctorum Belgij.

## CAPVT XVIII.

AUDOMAROPOLITANVM BEATÆ  
*Mariæ collegium, hodie Cathedrali dignitate  
 illustre in Arthesia.*

**B**Afilicam B. Mariæ in Sithium, quæ nunc est Cathedralis Canoniorum S. Audomari Ecclesia. fundauit S. Bertinus Abbas. Qua de re sic Ioannes Iperius in Chronico suo Bertinensi :

B. Bertinus Ecclesiam suam (quam hodieq; monachi Benedictini Bertinenses obtinent) de veteri monasterio transtulerat in locum commodiorem, sed quia ille tunc sic paludosus erat, vt in eo cœmiterium habere non posset, à B. Audomaro Episcopo consilium querit & opem. Qui coemit erium in collis vertice, & Basilicam consecrauit in honorem B. Dei genitricis Mariæ, & Domino Bertino dedit in sepulturam fratrum Sithiensium, rogans eum & obtestans, vt vbi naturæ fors humanis eum rebus eximeret, corpus suum ad hanc Basilicam deferretur, & ibidem cum  
 monachis



monachis conderetur. Tunc B. Bertinus ordinavit de suis monachis, qui Deo seruirent ibidem, & vt de monasterio suo principali ad capellam, & è contra vicissim per menses & hebdomadas sibi succedant. Vnde Sanctus Præsul Audomarus priuilegium dedit, quod sic incipit: Dominis sanctis ac venerabilibus mihi adherentibus fratribus, &c. Actum in Basilica ipsa, die XVIII. Maij, anno VI. Domini nostri Lotharij Regis. In Christi nomine, quamuis peccator ego Audomarus nomine, absque merito Episcopus, hanc Epistolam voluntarius dictavi, & recèseri audiui, & qui subterius scribere deberent, rogavi. Hæc absque ocellis feci, & alius manû meam tenens scripsit & subscripsit. Et quia huius priuilegij data est anno Lotharij VI. & aliqua Chronica dicunt hunc Lotharium regnasse solum annis IV. hoc intelligo de quattuor annis in se completis, vt iunctis parte anni præcedentis & parte anni sequentis, veniatur ad annum eius sextum, in quo datum est hoc priuilegium. Sigillum enim regium nec fallit nec fallitur. Hactenus Chronographus Bertinensis.

Est autem Audomaropolis, Gallicè  
*sainct Omer*, Vrbs Artesiæ, quæ  
 anno 1559. dignitatem E-  
 piscopalem ac-  
 cepit.

CAPVT